



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **BAUCHIANA** * IN NIGERIA NOVA DIOECESIS BAUCHIANA APPELLANDA CONDITUR. Actuosae evangelizationis catholicae Ecclesiae in Nigeria, ac praesertim nunc in Vicariatu Apostolico Bauchiano, maturos intuentes spiritalis fructus, quod laudabili etiam missionali opere effectum est Societatis Missionum ad Afros, Nos laetantes festinamus ibidem novam dioecesim instituere. Ideo, re mature deliberata auditoque voto quorum interest, Vicariatum Apostolicum Bauchianum ad gradum et dignitatem dioecesis extollimus *Bauchianae* nuncupandae, eamque facimus metropolitanae Ecclesiae Iosensi suffraganeam eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi illius Sedis subieetum. Novam dioecesim volumus iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione esse obnoxiam. Sedem novae dioecesis in eadem urbe Bauchiana ponimus, ecclesiam vero sancto Ioanni Evangelistae dicatam ibidem exstantem ad gradum ecclesiae cathedralis evehimus, iuribus ac privilegiis concessis quae ad eiusmodi tempia spectant. Quod autem ad novae dioecesis pertinet regimen, bonorum ecclesiasticorum admnistrationem, sede vacante administratoris electionem, alumnorum Seminarii institutionem, fidelium iura horumque similia, servantur quae sacri canones praescribunt. Haec autem, quae praescripsimus, committimus perficienda Nuntio Apostolico in Nigeria vel absente eo, illi qui negotia curat Apostolicae Sedis in eadem regione, ac omnes eis tribuimus necessarias et convenientes facultates, etiam subdelegandi quemvis virum in dignitate ecclesiastica constitutum, onere imposito ad Apostolicam hanc Sedem sincerum effectae executionis exemplar sedulo mittendi. Has denique Litteras Nostras ratas et firmas esse nunc et in posterum volumus, quibuslibet rebus minime obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die duodecimo mensis Decembris, anno Domini bismillesimo tertio, Pontificatus Nostri vicesimo sexto.*

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	CRESCENTIUS card. SEPE <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	---

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCVI (2004), n. 6, pp. 324-325 © Copyright 2003 - Libreria Editrice Vaticana